



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

1. Vt canonum statuta sine præiudicio ab omnibus custodiantur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

94. Si habeat quadraginta homilias Gregorij, & eas studiosè legat atque intellegat. Vel si eas habere non potest, vel sermonem prædicti doctoris de septuaginta discipulis à Domino ad prædicandum missis habeat & diligenter legat & intellegat, & cognoscat se ad formam septuaginta discipulorum in ministerio ecclesiastico esse promotum.

95. Si habeat Pœnitentiale Romanum, vel à Theodoro Episcopo aut à venerabili Presbytero Beda editum; ut secundùm quod ibi scriptum est interroget confitentem, aut confesso modum pœnitentiæ imponat.

FINIT INQUISITIO.

Hæc quæ suprâ capitulatim inquirenda expressimus, auctoritate canonica roborari oportet.

Ut canonum statuta sine præiudicio ab omnibus custodiantur. *Ex Concilio Meldensi, quod factum fuit temporibus Karoli junioris anno dominica incarnationis DCCCXLV. v. Kalendas Julij, Indiæ VIII. titul. x.*

Concil. Meld. I. **C**ANONUM statuta sine præiudicio ab
c. 34.
Burchard. lib.
p. c. 61. omnibus custodiantur, & nemo in
actionibus vel iudiciis ecclesiasticis suo sensu
sed eorum auctoritate ducatur. In exponendis
etiam vel prædicandis divinis scripturis san-
ctorum catholicorum & probatissimorum pa-
trum sensum quisque sequatur; in quorum

scriptis, ut beatus dicit Hieronymus, fidei veritas non vacillat.

Hieron. in
epist. ad Lx-
tam.

Qualem ministrum Episcopus juxta se
habere debeat. *Ex eodem Concilio*
tit. XI.

II. Ut quisque Episcopus talem juxta se
pro viribus habere decertet qui juxta sinceris-
simum & purissimum sensum catholicorum
patrum fide & observatione mandatorum Dei
seu & prædicationis doctrina Presbyteros ple-
bium assiduè instruat & informet, ne domus
Dei vivi, quæ est Ecclesia, sine lucerna verbi
divini remaneat. Sed & isdem talis existat
quem amor pecuniæ non vexet, aut reprobi
mores & conversatio reprehensibilis contem-
ptibilem reddat. Hinc est quòd cum Moyse
querelam in conspectu Dei deponeret se non
posse portare tantum onus quod ei fuerat im-
positum, audivit à Domino: *Congrega mihi*
septuaginta viros de senioribus Israël, quos tu
novisti quòd seniores populi sint ac magistri, &
auferam de spiritu tuo, tradamque eis, ut su-
stentent tecum onus populi, & non tu solus gra-
veris. Quid in Moyse nisi summum sacerdo-
tium, quid in septuaginta viris nisi Presbyte-
ros accipimus? Quòd autem Dominus aufert
de spiritu Moyse traditque eis, patenter osten-
dit quòd hi qui ab Episcopo in Dei conspectu
vocati sunt, ut secum onus populi sustentent,
eadem quæ Episcopus sentire debent eadem-
que velle & in partito sibi onere totis viribus
cooperari. Hoc enim significat quòd non
alium sed ejusdem Moyse spiritum accipiant.

Concil. Meld.
c. 35.
Burchard. lib.
1. c. 88.

Num. 11.